Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1309
Quelle:
Copyright:

est fieri instituta in ecclesia &c. et Extrema animadvertunt in eos, *qui ludunt tesseres ad aleam et qui simpliciter taxillos iactant.*

III. *fol.* 11. *Incipiunt notabilia de septem peccatis capitalibus.* Praemittitur tamen etiam Institutio de Peccato generatim, de originali, veniali et mortali. Initium: *Peccatum est preuaricatio legis diuine* &c. Rubricae, ut supra.

IV. *fol.* 15. p. 2. *Incipit tractatus de septem sacramentis sine quibus nemo saluari* (potest?) *Ideo lege ea.* Initium: *Misericors et miserator dominus cuius misericordie* &c. Agit de Sacramentis in genere et specie, item de Donis Spiritus sancti, de VIII. Beatitudinibus, demum de Latria et Dulia rursus per Rubricas.

V. *fol.* 32. Post Exempla quaedam et Effata ad Principes potissimum pertinentia sequuntur Excerpta ex *Aristotelis Ethicis* et *Politicis* ordine Librorum.

VI. *fol.* 43. *Liber*, ut e calce praeoccupo, *de doctrina dicendi et tacendi ab albertano causidico brisiensi de ore* (ora) *sancte Agathe compositus missus ad stephanum filium suum sub anno domini 1245. mense decembris.* Dixi jam bis de hoc Opusculo hoc *Vol.* ut habes in Indice.

VII. *fol.* 49. Tractatus ἀδέσποτος de Actibus Humanis per Aphorismos procedens hujus initii: *Aristoteles macedo princeps philosophorum quem deus in esse produxit ut secreta nature reuelaret de rebus quarum speculatores et factores existimus serioso edocuit. Nunc uero de principijs actuum humanorum dicendum sententiam aristotelis et diuini hominis euidentiam imitando.* &c. Abrumpitur in Quaestione: *Utrum suggestio dyamonie* (sic) *insit per speciem delectabilem uel tristabilem, seu utroque modo.*

DLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 52. 8. eleganter exaratus, rubricis distinctus, et *J. Alex. Brassicani* ICti primum, tum *Joh. Fabri* Ep. nostri Κτημα titulum praefert: *Incipit Dyalogus de ecclesiastico principatu*; et ita ingreditur: *Omnis ecclesiastici ordinis principatus in apostolicis sacerdotibus fundatur, et regitur a primordio nascentis ecclesie. que ab apostolis est fundata et eorum doctrinis toto terrarum orbe dilatata. Hec est celestis regina eterni regis sponsa. cuius decorem admirans propheta canit in psalmo. Astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato. circumdata uarietate. Cuius tempora cum secundum lunaris cursus mutationem per incrementa et decrementa constat uariari. de statu illius aliqua scribere proposui. hac uidelicet intentione. ut et animus meus in hoc opusculo meditando habeat exercitationem. et legentes qualemcunque capiant edificationem. Patris autem mei spiritalis domini Erbonis obediens iussioni. sic eius uoluntati. et legentium deseruire cupio utilitati. ut per interrogationem et responsionem decurrat oratio. et inde libellus iste dyalogus uocari debeat.* Hic igitur U.657